

ca. 111

11. 11. 11. 11.

11. 11.

moda qui toto cor de poscunt e in

et 11. 11. 11. 11. 11. 11.

inim inim tota

nos te nomi

et 11. 11. 11.

n 1 n j. 11 n

bet committe re

et 11. 11.

11

11. 11. 11. 11.

tim eys nathom

De 11. 11.

8753

4265

R XVII. 5. no. 123.



band 5. 62

DISPUTATIO THEO-
LOGICA

De
ULTIMO CHRISTI
ADVENTU:

QUAM IN CE-
LEBERRIMA ET ANTIQUA
Hessorum Academia Marpurgensi, vene-
randæ facultatis Theologicæ decreto pro
consequendis in Theologia honori-
bus Doctoralibus,

Proponit

M. PHILIPPUS CÆSAR, ECCLE-
siastes in Gottorp.

Respondente

M. ECKHARDO ULRICO CAS-
sellano.

D. 27. Jul. in Colleg. ad Lanum.
MARPURGI CATTORUM
Ex Officina Rodolphi Hutvvelckeri,
Anno M DC XV.



ILLUSTRISSIMO, CELSISSIMO ET
potentissimo Principi ac Domino,

DN. IOHANNI ADOLPHO,
HÆREDI NORWEGIÆ, DUCI SLESUI-
giæ, Holsatiæ, Stormariæ, Ditmarsæ, Comiti in
Oldenburg & Delmenhorst,

HEROI RELIGIOSISSIMO ET LITERA-
tissimo, imprimis verò puræ Orthodoxias & publi-
cæ pacis colentissimo,

Domino & Evergetæ meo Clementissimo

*Hanc meam inauguralem disputatio-
nem*

Humiliter, meritoq̃

Nuncupo

PHILIPPUS CÆSAR.



THESIS THEOLOGICÆ

De

ULTIMO CHRISTI
ADVENTU.

1. **T**OTA Christiana doctrina, scriptis Prophe- *Eph. 2. 20.*
ticis & Apostolicis explicata, à cuius pro- *Act. 11. 26.*
fessione Christiani appellamur, duabus ta-
bulis continetur & describitur: Lege &
Evangelio.

2. Nos autem jam non amplius sub Lege, quæ perfe- *Gal. 3. 25.*
ctam obedientiam, sed sub Evangelio sumus, quod veram Fi-
dem requirit.

3. Hujus Fidei Summa Symbolo Apostolico est compre-
hensa, quod secundum individua Deitatis personas in tres, se-
cundum Apostolorum verò, quorum unanimis fuit doctrina,
numerum, in duodecim dividitur Articulos.

4. Ex illis aliqui partim jam sunt impleti, partim adhuc
implentur, aliqui implendi restant, quorum spem suo tempore
expectamus.

5. Tales sunt tres, Adventus Christi ultimus, Resurre-
ctio carnis, & Vita æterna.

6. De primo, hoc est, ultimo Christi Adventu, cum pu-
blica & solennis mihi Disputatio in Theologia habenda esset, *2. Tim 3.*
agere placuit, non tantum quia multiplicem usum præbet ad *16.*

Eph. 5. 32. corporis Christi, quod est Ecclesia, ædificationem: sed etiam,
1. Cor. 14. quia inter eos, qui adhuc implendi restant, primus est, & nos
26. jam in extrema mundi senectâ constitutos non longè postex-
cipiet, ut taceam illud, quòd Philippo Apostolo ascribitur, &
me sic ipso nomine ad se quali vocat.

Job. 14. 23. 7. Antequam autem ad alia progressus fiat, statim in
Ephes. 3. 17. principio ipsa vox est declaranda, quæ hîc non improprie sumi-
tur, pro spiritali illo in pectora nostra Adventu, quo in Electis
suis semper, ab initio mundi ad ejus usque finem habitat: sed
proprie, pro motu locali, quo se certo tempore mundo in cor-
pore perspicue sistit.

Job. 3. 13. 8. Ejusmodi Adventus Christi duo sunt: primus jam
Eph. 4. 9. olim factus est, in principio ultimi temporis, cum æternus Dei
Filius, à Patre genitus, propter nos & nostram salutem de cœlo
descenderet & incarnatus.

Phil. 2. 7. 9. Etsi enim Adventus ille incarnandi λόγος de cœlo,
Job. 1. 14. nulla sit localis transmutatio, sed exinanitio tantum, & infor-
mam servi demissio: postquam tamen incarnatus jam & homo
factus esset, verè obambulavit in tota Judæa & Galilæa, tan-
quam circumcisionis Minister, non prædicando tantum, sed
Rom. 15. 8. benefaciendo etiam & sanando omnes à Diabolo oppressos; &
Act. 10. 38. sic in propria venit, sed sui eum non receperunt, quotquot au-
tem receperunt eum, dedit eis ut liceret filios Dei fieri, & per
Job. 1. 11. eum ad Patrem venire.
Job. 14. 6.

Job. 16. 28. 10. Ad quem & ipse, magno nostro bono, cum per se-
Heb. 1. 3. metipsum purgationem peccatorum nostrorum fecisset, mun-
dum hunc iterum relinquens, per ascensionem abiit, & con-
sedit in dextera Majestatis in excelsis.

11. Unde venturus est, inquit Symbolum, ad judican-
dum vivos & mortuos: qui est secundus & ultimus Christi Ad-
ventus seu editus ad Judicium, de quo in præsentia secundum
sanam verborum formulam sobriè aliquid agemus.

12. Et primò quidem, etsi nulli Christianorum fidelium dubium esse dicitur, an aliquis adhuc Christi Adventus restet, siquidem hoc Christianum & Apostolicum Symbolum tam disertè tradit, cum dicit, Venturus est: propter tamen eos, qui hac etiam in parte negotium facessunt Ecclesiæ ad solidandam & muniendam fidem nostram, ex Scriptura probandum & demonstrandum est.

13. Certissimè absq; omni dubio rediturum aliquando ad nos Christum, apertissimè patet, tam ex Mosis & Prophetarum Veteris, quàm ex Christi & Apostolorum Novi Testamèti testimoniis, quæ adducere omnia & singula non est opus, maximè cum inferiùs specialiter adhibenda sint.

14. De suo hoc Adventu Christus ipse non obscure vaticinatus est, cum ad Discipulos dixit: *a* Si abiero, iterum veniam. & toties repetiit illud: Videbunt filium hominis venientem. quod & Angeli dixerunt in Ascensione: Veniet quemadmodum vidistis euntem. *b* Unde Apostoli hunc Adventum Christi passim in ore habent: Paulus: Jacobus: Petrus: Johannes: Judas. *c* Apparitionem & revelationem Christi appellant. *d* appellant consummationem seculi, diem novissimum, diem Dei, diem Domini, diem Christi, diem illum: *e* hoc autem seculum ultimum, postremum, novissimum tempus, extremos dies, & finem mundi. *f* Et tota Ecclesia promittenti Christo, Etiam venio citò, respondet, Etiam veni Domine Jesu. quo supremo piorum desiderio S. Biblia clauduntur.

a) Job. 14. 3. Matth. 24. 30. Marc. 13. 26. Luc. 21. 27. Act. 1. 11. *b*) 1. Thes. 2. 19. 3. 13. 4. 15. Jac. 5. 7. Pet. 3. 4. Apoc. 1. 7. 8. 13. 40. 24. 3. 1. Joh. 2. 18. 2. *c*) 1. Tim. 6. 14. 1. Joh. 3. 2. 2. Thess. 1. 7. *d*) 1. Joh. 6. 39. 2. Pet. 3. 12. 1. Thess. 5. 2. 2. Thess. 2. 2. 2. Tim. 4. 8. *e*) 1. Tim. 3. 3. 2. Tim. 3. 1. 1. Cor. 10. 11. *f*) Apoc. 22. 20.

15. In Mose verò etsi tam clara testimonia non ex quo men & ipsi hic ultimus Christi Adventus nec incognitus nec planè tacitus etiam fuit, cum teste Christo, de suo

Exod. 3. 1. suorum resurrectione in isto Adventu futurâ ex ore Dei scri-
Gen. 7. 19. pserit: & habeat illustres ejus typos, Diluvium universale, &
Mat. 24. 37 incendium Sodomæ. Prophetæ autem Mosis interpretes
Luc. 17. 25. plenius explirârunt; David; Venit adjudicandum terram, judi-
Psal. 96. 13. caturus est orbem habitabilem per justitiam, & populos per fi-
Esa. 66. 15. dam suâ. Esaias: Ecce Jehova in igne venturus est, & currib. suis
Jer. 30. 23. similib turbini, ad reddendum cum excandescencia iram suam,
& increpationem suam cum flammis ardentibus. Jeremias: Ec-
Ezech. 32. ce turbo Jehovæ excandescencia proditurus est, turbo indefi-
7. nenter hospitans, super caput improborum permanebit. Eze-
Dan. 7. chiel: Et operiam, cum extinguate, cœlos, atratasq; reddam
10. 13. lux sua. Daniel: Videbam, donec folia abjecta sunt, & Antiquus
dierum sedit: donec judicio confidente libri aperti sunt: Vide-
bam visionib. nocturnis, quòd ecce cum nubibus cœli similis
Joël. 2. 31. filio hominis veniebat, deinde usque ad Antiquum dierum per-
venit, ut sisteretur ante eum. Joël: Sol ipse vertetur in tenebras,
& luna in sanguinẽ, antequã veniat dies Jehovæ magnus & re-
Zeph. 1. 14. verendus. Zephanias: Propinqua est dies Jehovæ maxima, pro-
pinqua & festina valdè, sonus diei Jehovæ, amarè clamatur o-
ibi robusto: dies furoris dies illa, dies angustia & oppressionis,
dies vastitatis & quidem vastissimæ, dies tenebrarum & obscu-
ritatis, dies nubis & caliginis, dies buccinæ & clangoris, contra
civitates munitas, & contra angulos altissimos. Malachias: Ecce
Mal. 4. 1. dies ille adveniet, ardens tanquam fornax, quo erunt omnes
superbi & omnes facientes improbitatem stipula, & inflamma-
bit eos dies ille venturus, aitq; p̄p̄va exercituum, ad eò ut non
derelinquat eis radicem annos m.

16. Quæ etsi primâ fere & secundum literam, partim de
corporalibus populi Dei & gentium poenis, partim de primo
Christi in mundum Adventu, & spiritualis in eo Regni sui cre-
atione intelliguntur: nihil tamen obstat, quò minus de hoc et-

iam

iam ultimo accipi possint, ut qui scripturæ more in illo primo, non aliter, atq; primus ille, in veteribus istis ultionibus quasi præfiguratus & præostensus est, ut non obscure ex Hierosoly. *Matth. 24.* mitano patet excidio.

17. Misere ergo falluntur Judæi, etiam hodierni, qui Adventum quidem Christi expectant aliquem, sed non hunc secundum & ultimum, quemadmodum nec illum primum, qui *Luc. 19. 44.* tempus gratiosæ ipsorum visitationis fuit, recte cognoverunt, terreni Regni fascino dementati.

18. Miserius adhuc falluntur Christiani illi, qui corporis Dominici omnipresenciam in singulis etiam hujus mundi locis confingunt invisibilem: qua hunc Christi Adventum tantum non in reparationem, ut ita loquar, & emersionem quandam ex tenebris mutant, quasi abitus ejus nihil aliud quam disparitio fuerit manentis, qua ratione ipse Adventus seu Reditus revera tollitur & negatur.

19. Miserrime verò & vel blasphemè insaniunt illusores ultimi temporis, qui propriis suis concupiscentiis circumventi, nullum Christi reditum aut mundi finem credunt, firmitate & stabilitate naturæ hujus contra conscientiam abutentes, quos *2. Pet. 3. 5.* propterea jam olim solidè refutavit Petrus. *Juda. 18.*

20. Quales inter Christianos, proh dolor, non pauci inveniuntur, qui hunc ultimum Christi Adventum malitiosè contemnunt, & multa de eo impiè garrunt: quorum furiosa impietas & malitiosa blasphemia iis nullo modo ferenda erat, qui Adventum ejus diligunt: seipsi & ipsi aut cum illis facere, aut hunc non magni pendere videntur.

21. Jam secundo loco, *Matth. 24. 27.* Adventu ipso certi sumus, quæritur ampliùs, unde ergo. *Matth. 24. 26.* Unde verò, nisi Inde, quò abiit, & ubi nunc est?

22. Abiit autem per Ascensionem ad Patrem, & consedit *Mar. 16. 19.* ad dexteram ejus, non in abyssu, terra, mari, aëre, aut ubique locorum, *Eph. 4. 8, 10.* *Col. 3. 1.*

Hebr. 1. 3. corum, sed in coelis, in excelsis, in altissimis, ibi nunc est, ibique
4. 14. & manet usque ad tempora restitutionis omnium.

8. 1. 4. 23. Id quod & ipse dixit. Videbunt filium hominis veni-
Act. 3. 21. entem in nubibus coeli. Et Angeli: Hic Jesus qui à vobis assum-
Matth. 24. ptus est in coelum, ita veniet, quemadmodum vidistis eum e-
Mar. 13. 26. untem in coelum. Et Paulus: descendet de coelo: revelabitur de
Luc. 21. 27. coelo. Ex quo & Servatorem expectamus.

Act. 1. 11. 1. *Th.* 4. 16. 2. *Thes.* 1. 7. *Phil.* 3. 11.

Matth. 24. 24. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite cre-
dere, Ecce in penetralibus, nolite credere. Ecce hic Christus, ecce
illic, ne credatis. Intellige de praesentia corporali ante hunc Ad-
ventum: nam spiritu, virtute, auxilio & solatio nunquam suos
Mar. 13. 21. deserit, sed apud ipsos est omnibus diebus usque ad consumma-
Matth. 28. tionem seculi.

29. 25. Possset quidem, si opus esset, etiam ipso corpore ante
novissimum hunc Adventum ad singulos piorum venire, sed
cum scriptura de particulari ejusmodi Adventu taceat, & uni-
versalem illum cum semel facta Ascensione immediatè conne-
ctat, nos etiam tacere & in communi illa omnium sanctorum
spe acquiescere debemus.

26. Ex qua verò coeli plaga venturus sit, etsi incertum
est, quemadmodum tamen probabile est, quòd non in Antipo-
dum, sed nostro Hemisphærio appariturus sit, ita nec absolum
est credere, rediturum ex illa coeli parte, per quam elevatus est,
ut cognoscamus, esse eundem qui ascendit, non alium, & ha-
bere non aliud, sed idem adhuc corpus, cui gloria in mortalita-
tem dederit, naturam non abstulerit.

27. Cæterum loco tertio, quando & quo tempore fu-
turus sit hic ultimus Christi Adventus, Symbolum non attin-
git, significans, nostrum non esse, hoc scire, adeoq; nec inquire-
re. Ipso Domino dicente: Non est vestrum nosse tempora &

arti-

articulos temporum, quos Pater in sua ipsius constituit pote- *Act. 1. 7.*
state. Unde de illo die ac tempore nemo novit, ne Angeli qui- *Mar. 13. 32.*
dem qui in caelo sunt, nec ipse Filius, sed solus Pater.

28. Sed quomodo ipse Dei Filius, qui in sinu Patris est,
Patrem & omne Dei consiliū novit, hunc diem ignoret, quem
Deus ab æterno statuit, ut mundū judicet per eum virum, per *Act. 17. 31.*
quem decreverat, hoc est, per hunc suum incarnatum Filium?

29. Respondet Augustinus solidè: Novit sibi, non no-
vit nobis, quibus non revelat: quæ loquendi ratio non est inu-
sitata, ut dicatur aliquis ignorare id, quod ipse quidem scit, aliis
autem dicere non vult.

30. Et ratione quidem Divinitatis suæ diem hunc Chri-
stus optimè & per se novit, ut quem ipse cum Patre & Spiritu S.
ab æterno decrevit & constituit: ratione etiam Humanitatis,
etsi per se & naturâ suâ quæ scire nequeat atq; Angeli & cæte-
ri homines, gratia tamen & revelatione singulari non est du-
bium, quin cognitum habuerit.

31. Nec enim facile dixerim, humano ejus intellectui
patefactum non fuisse temporis hujus articulum, cum cæteras
omnes circumstantias quàm perspectissimas habuerit.

32. Officium autem Mediatorium quod attinet, quo
se tota persona, utrâq; naturâ, & sic Filius quoq; Dei quâ Filius,
sub Patrem demisit, cui factus est obediens, ita ut non potue-
rit à semetipso quicquam vel loqui vel facere, nisi quod vide- *Joh. 5. 19.*
rit facere & audiverit loqui Patrem, nobis indicare nec debuit *30. 7. 16.*
nec voluit.

33. Ad quia ergo signa, quæ prædixit, si sciri tempus Ad-
ventus ejus nec potest nec debet?

34. Non dedit signa eo fine, ut certum definitumq; tem-
pus, annum, mensem, diem, horam præmonstrarent, sed tan-
tūm ut piis instantis Adventus præmonitoria, & præsentis indi-
catoria essent.

B

35. Sunt

35. Sunt enim duplicia, quæ Christus prædixit, signa: quædam antecedentia, quædam conjuncta.

36. Et Antecedentium quidem quædam sunt, quæ in genere indefiniteq; monstrant, appropinquare jam diem magis ac magis, tantoq; propiorem esse, quanto ipsa frequentius & vehementius ingruunt: ut sunt in mundo bella, pestilentia, fames, terræ motus, in Ecclesia corruptio doctrinæ, martyria, scādala, depravatio morum, securitas, fidei & charitatis multorum deletio.

Matth. 24.
Marc. 13.
Lev. 21.
1. Tim. 4. 1.
2. Tim. 3. 1.

37. Ne tamen invalescentibus his nimis turbentur pii, & putent adesse jam diem, nec super esse aliud tempus, apertè addit, Nondum esse finem, & ponit alia signa, quæ subinde monstrant, non venturum Dominum, nisi & ista prius omnia fuerint completa: ut sunt Vocatio gentium & prædicatio Evangelii in universo orbe, Eversio Jerusalem, Universalis Apostasia, Patefactio Antichristi, cōversio Judæorum, & Romani Imperii interitus.

Mat. 24. 6.
Matth. 24. 14.
Luc. 21. 24.
2. Thes. 2. 3.
Apoc. 13. 3.
2. Thes. 2. 3, 8.
Rom. 11. 25.
Dan. 2. 34, 44.
2. Thess. 2. 7.

38. Conjuncta verò signa, quæ cum ipso die aderunt, nec illa quicquā prædefinient, sed diu prædictum tempus hoc ipsum esse docebunt, ut ne pii incipientibus his tristi rerum facie deterriti speluncas & montium cavernas quærant, sed læto Christi adventu excitati suspiciant, & in appropinquantem redemptionem suam capita sua attollant: qualia sunt quæ Christus ipse in Evangelio ponit; in natura cœlesti, Sol & Luna obscurabuntur, stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum movebuntur; in natura verò elementari mare resonabit & fluctuabit, homines a. extabescunt præ timore & expectatione eorum, quæ supervenient orbi terrarum. quæ secundum literam intelligenda veniunt, & idem sunt cum illo quod Petrus habet de mundi hujus interitu: illo die cœli, procellæ in morem, transibunt,

Matth. 24. 28.
Matth. 24. 29.
Marc. 13. 24.
Luc. 21. 25.
2. Pet. 3. 10.

bunt,

bunt, elementa verò æstuantia solventur, terraq; & quæ in ea *Apoc. 6.*
sunt opera exurentur. Cum quibus ad literam consentiunt quæ *12:20.11.*
habentur in Apocalypsi.

39. Non quod mundus hic secundum substantiam sit
periturus & in nihilum reversurus, sed quòd habitus ejus sit pe- *1. Cor. 7. 31.*
riturus, & concupiscentia, sublataq; vanitate, ipsa creatura, quæ *1. Job. 2. 17.*
congemiscit & simul nobiscum parturit, usq; ad hoc tempus, à *Rom. 8. 20.*
servitute corruptionis liberetur, in libertatem gloriæ filiorum
Dei.

40. Et tunc videbunt ultimum penitissimumq; signum,
signum scilicet Filii hominis, hoc est, non vexillum aut crucem, *Matt. 24.*
quemadmodum aliqui ineptiunt, sed ipsum Dominum Jesum *30.*
in nube candida desuper venientem: qui ut hîc fuit positus in si- *Mar. 13. 26.*
gnum contradictionis, sic ibi veniet in signum retributionis. *Luc. 21. 27.*

41. Quibus ita se habentibus, satis superq; apparet, quàm
frivolum sit & impium, quòd quidam nimiâ curiositate hoc
tempus & hunc diem certò definire audent, sumptis etiam cõ-
jecturis & supputationibus ex Scriptura, quæ tamen clarè ne-
gat, scire posse aut debere. *Luc. 1. 34.*

42. Porrò quarto loco, etsi certi Adventus tempus no-
bis sit incertum, cæteræ tamen circumstantiæ, ac præsertim mo-
dus & ratio ejus, incertæ non sunt, ut quas Dominus ipse ma-
gnam partem revelavit.

43. Tacet quidem & hîc Symbolum iis in verbis, quibus
hunc Adventum describit, significans non omnia hæc ad vi-
vum esse rescanda: interim tamen non obscurè innuit, qualis
sit hic futurus Adventus, & quomodo in eo appariturus Do-
minus, cum Inde, hoc est, è cœlo, ubi ad dextram Dei omnipo-
tentis sedet, venturum dicit: unde profectò non humilis, pau-
per & despectus, ut antè, sed gloriosus cum majestate cœlesti &
divina veniet.

44. Hoc quod ipse dixit: Videbunt filium hominis veni- *Matt. 24.*

B 2 entem *30.*

Luc. 21. 27. entem in nubibus caeli cum virtute & gloria multa, cum pote-
Mar. 13. 27. state multa & gloria.

Matth. 16. 27. 45. Quam potestatem & gloriam talem esse, ut soli ve-
ro Deo conveniat, sic effect alibi: Filius hominis veniet in gloria
Patris sui.

Matth. 25. 31. 46. Nec solius tamen Patris seorsim esse, sed sibi cum
Patre communem, docet his verbis: Cum venerit Filius homi-
2. Thes. 1. 9. nis in gloria sua. Unde Paulus gloriam fortitudinis illius appel-
lat.

Tit. 2. 13. 47. Ex qua collatione vera & aeterna Christi Deitas in-
fallibiliter concluditur, appellante propterea hunc diem Apo-
stolo. Illustrationem gloriae magni Dei & servatoris nostri Jesu
Christi.

Act. 1. 11. 48. Majestas autem haec ejus, etsi & nunc verè est, tunc
Matth. 24. 30. tamen maximè apparebit, & coram hominib⁹ major erit, quia
visibilis erit, ipso veniente, sicut visus est ascendere in caelum: Vi-
debunt enim venientem, non innocentes tantum, sed & ii, qui
transfixerunt eum.

Zach. 12. 10. Apocal. 1. 7.

49. Amplificat hanc gloriam ejus, semel quòd non tar-
dè & gradatim, sed subito & in momento, non expectatus &
aliorum Regum instar pomposo occursum adductus, sed invi-
tatus & hominibus eo die nihil minus cogitantibus, adeoque
non aliorum, sed suo arbitratu aderit: quocirca hunc Adven-
tum suum fulguri comparat, quod celeriter exit ab oriente &
Matth. 24. 43. apparet usque in occidentem; Comparat furi, qui ea venit ho-
râ quâ nemo putasset, in nocte sc. cum omnes in domo dormi-
Luc. 12. 39. unt; Comparat dolori partus praegnantis mulieris, quæ aliquo
1. Thess. 5. 2. quidè modo tempus suum collimat, horam tamen certam ex-
Apoc. 3. 3. actè nescit, quæ sic repente ei imminet, non aliter atque diluvi-
16. 17. um olim mundo & incendiū Sodomæ repente & præter o-
2. Pet. 3. 10. mnem

mnem

in nem expectationem ad fuerunt, in typum & signum celer- *1. Thess. 5. 2.*
rimini hujus Adventus Christi. *Rom. 8. 22.*

Matth. 19. 28. Matth. 24. 38. Luc. 17. 26. 2. Pet. 3. 5.

50. Iterum, quod non ipse per se solus, sed maximo cum *Matth. 16*
comitatu & satellitio omnium sanctorum Angelorum aderit, *27. 25. 31.*
qui sunt illi millies milleni serviētium ipsi, & decies centies mil- *Dan. 7. 10.*
leni, qui stant coram ipso: unde & Angeli potentiae eius dicun- *Apoc. 5. 11.*
tur. *2. Th. 1. 7.*

51. Et hoc est quod Apostolus ait: descendet de caelo ipse *1. Th. 4. 16.*
Dominus cum hortatu, & voce Archangeli ac tuba Dei: quibus
proprie nihil aliud intelligitur, quam vox Filii Dei, quam tum
omnes audient, qui in monumentis sunt, & ministerium san- *Iob. 5. 28.*
ctorum Angelorum quos cum tuba illa mittet, cujus cantu re- *Mat. 24. 31*
surgent mortui & immutabuntur viventes. *1. Cor. 15. 52*

52. Quinto iam, tanta cum gloria & maiestate cur est ven-
turus, & quis huius Adventus finis? Respondet Symbolum, ut
judicet, manifesto sc. & universali Judicio omnem mundum.

53. Non tantum enim particulare habet Deus Judicium,
quo in hoc tēpore separatim suos vel defendit, ita ut portae in- *Mat. 16. 18.*
ferorum contra eos nihil valeant, vel corripit, cum peccaverūt,
ne cum mundo condemnentur; quod Judicium idcirco à do- *1. Cor. 11. 32*
mo Domini incipere dicitur: impios verò, quantumlibet ali- *1. Pet. 4. 17.*
quandiu felices, tandem tamen horribiliter punit, perdit, & a- *Psal. 73. 17.*
nimas ipsorum in gehennae ignem ac tormenta conijcit. Sed ha- *Luc. 16. 23*
bet etiam universale Judicium, quod in fine seculi conjunctim
& manifestè super omnes extendetur, in quo consummabun- *Act. 3. 21a*
tur omnia, quae locutus est per os omnium sanctorum suorum
à seculo Prophetarum.

54. Ac ejusmodi quidem universale, manifestum & fina-
le Dei Judicium superesse, vel ipse sensus communis dicitur, qui
ex principio naturae noto satis intelligit, bonis tandem oportere
apud Deum aeternum bene esse, quibus tamen hic malè ple-

B ; runq;

runque est, & malis à Deo oportere esse malè, quibus tamen hîc ut plurimum benè est.

Rom. 1. 21. 55. Pleriq; verò gentiles etsi ex hoc principio animarum suarum salutem crederent, quia tamen frustrati sunt per cogitationes suas, & obtenebratum est insciens cor eorum, sicut alibi, ita & hîc à naturali sua cognitione deflexerunt, nec Resurrectionem carnis aut universale Judicium crediderunt.

Psal. 96. 13.
Isa. 60. 10.
Dan 7. 10.
Act. 17. 13.
Rom. 2. 15:
16.
Heb. 9. 27.
Jude 14.
Apoc. 20. 12
13. 56. Ideò nobis certum fundamentum & Firma fidei Regula in scripturis proposita est, quæ dicit: Venit ad judicandum terram Jehova igne disceptaturus est. Judicio cōsidente, libri aperti sunt. Quæ & similia superiùs explicata sunt. Deus enim statuit diem, in quo judicaturus est orbem terrarum cum Justitia, per eum virum per quem decreverat: hic est ille dies, quo patefiet justum Dei Judiciũ, in quo iudicabit Dominus occulta hominũ, quibus semel constitutum est mori, post hoc autem Judicium, de quo vaticinatus est septimus ab Adam, Enoch, & quod Johannes in spiritu vidit habitum.

Joh. 5. 22.
27. 57. Etsi autem & Pater & Spiritus S. unus & verus cum Filio Deus, ab hoc Judicio non excluduntur, Filio tamen incarnato singulariter tribuitur, ut qui conspicuus esse, & quæ Judicis sunt peragere potest: secundũ quod scriptum est, Pater non judicat quenquam, sed omne Judicium dedit Filio; Cui ideò potestatem dedit judicandi, quia Filius hominis, hoc est, quia Deus in carne est.

Ioha. 3. 17:
12. 47.
1. Ioh. 2. 2.
Matt. 9. 13
Ioh. 9. 39. 58. Nam quod alibi scriptum est: non misisse Deum Filium suum in mundum, nec hunc venisse, ut judicet mundum, sed ut servet mundũ: intelligendum est de primo eius & humili adventu, quo satisfecit pro mundi peccatis, deq; contritis corde qui onus peccatorum sentiunt & liberationem expetunt: non enim venit ad vocandum justos, sed peccatores ad pœnitentiam; illis autem qui se videre gloriãtur in judicium in hunc mundum venit, ut cæci fiant.

59. Judi-

59. Judicabit igitur Pater per Filium, quamvis de occultis etiam, non tamen occultè, sed manifestè, coram totâ coronâ Angelorum & hominum, tam malorum quàm bonorum: manente quidem Unione personali, sed peragente tamen Divinitate quod divinum & Humanitate quod humanum est.

60. Est enim Judicis non tantùm rem atque causam cognoscere, sed de cognitis etiam secundùm æquum & justum sententiam ferre, ita ut qui rei vel insones sunt, tales pronuncientur, & unicuiq; pro merito suo vel detur præmium vel irrogetur poena.

61. Quinam verò sint illi, qui in hoc Judicio sistentur, & de quibus Christus sententiam feret, censuræ quidem Latentius, eos tantùm fore, qui in Religione Dei fuerunt, sed est hoc contra claram Apostoli vocem, Quicumq; sine Lege peccaverunt, sine Lege etiam peribunt. *l. 7. c. 20. Rom. 2. 12.*

62. Et quid hoc est, quod dicitur? plangent omnes tribus terræ. congregabuntur antè eum omnes Gentes. omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei. omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi. videbit eum omnis oculus? *Mat. 24. 30. Mat. 25. 32. Joh. 5. 28. 2. Cor. 5. 10. Apoc. 1. 7.*

63. Quod verò aliàs scribitur, credentes in Judicium non venturos, patet ex oppositione, de condemnatione aeterna dici, quia tales à morte scilicet hujus corporis, in vitam, illam æternam, transiverunt. *Job. 5. 24.*

64. Hos omnes Symbolum dividit in vivos & mortuos; secundùm clara testimonia: Christus constitutus est à Deo Judex vivorum & mortuorum: qui paratus est ad judicandum vivos & mortuos: qui judicaturus est vivos & mortuos in apparitione sua & in regno suo. *1. Pet. 4. 5. Act. 10. 42. 2. Tim. 4. 1.*

65. Putavit quidem Augustinus, has particulas etiam ita accipi posse, ut vivi significent justos, mortui injustos: quemadmodùm in peccatis mortui eramus, & cum Christo convivificati sumus, *Enchir. ad Laur. 6. 55. Eph. 2. 5.*

Mat. 1. 22. sumus, quo Christus respicit, cum ait, sine ut mortui sepeliantur
Luc. 9. 60. mortuos suos. mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint
Job. 5. 25. vivent, & Paulus cum de voluptate vidua dicit, vivens mortua
1. Tim. 5. 6. est. de se autem utpote de homine in novam vitam regenerato,
Gal. 2. 20. vivo non jam ego, sed vivit in me Christus, vitam verò quam
nunc vivo in carne, per fidem vivo Filii Dei.

2. Tim. 2. 18. 66. Sed quia Hymenæus & Philetus etiam sic exponen-
do à veritate aberrarunt, quod Resurrectionem jam factam
esse, & subverterunt quod in Symbolo Fidem: Tutius est in simplici &
plano Symboli, quod populariter scriptum est, sensu acquiesce-
re, ut per mortuos intelligantur ii, qui ab initio mundi usque
adhuc ex vivis excesserunt, per vivos autem ii, qui
veniente Domino adhuc in vivis erunt.

1. Cor. 15. 51. 67. Sic enim exponit Apostolus, cum ait: Ecce mysteri-
1. Thes. 4. 15 um vobis dico. Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen
immutabimur. & alibi: Nos qui vivemus & reliqui erimus in
Adventum Domini, nequaquam præveniemus eos, qui dor-
miunt.

1. Th. 4. 15. 68. Ac propterea, cum etiam mortui sint judicandi, o-
pus est Resurrectione carnis, ita ut Resurrectio fiat antequam
feratur sententia, dicente Paulo: mortui in Christo resurgent
primùm, deinde nos qui vivemus, qui reliqui erimus, simul
cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aëra.

1. Cor. 15. 50. 69. Cumq; caro & sanguis Regni Dei hæreditatem con-
sequi non possint, neq; corruptio incorruptibilitatis hæredita-
tem accipere; ideò mortui quidem resurgent incorruptibiles,
vivi autem & superstites, immutabuntur, idq; in puncto tem-
poris, in momento oculi, per extremam tubam, quæ canet.

1. Cor. 15. 50. 70. Nec verò homines tantùm, sed & Angelos judica-
urus est Dominus, illos nimirum, qui non servarunt suam ori-
ginem, sed reliquerunt suum domicilium, hoc est, qui peccave-
runt, quibus non pepercit, sed catenis noctis & vinculis æternis
in tarta-

in tarta-

in tartarum præcipitatos tradidit sub caligine servatos in judi-
cium magni illius Diei.

71. Boni verò & electi Angeli, etsi huic Judiciio tanquam *1. Tim. 5. 21.*
ministri, spectatores ac testes effuturi sunt, in Judicium tamen i-
psum non venient, ac ne quidem ut fideles & electi Dei homi-
nes, qui si non condemnatoriam, absolutoriam tamen senten-
tiam referent, qua opus habent, quia antè lapsi & æquè cum cæ-
teris rei fuerunt: Angeli verò non sic, ut quibus Christus non est
Redemptor, sed tantùm Servator, & Servator quidem non ex *Eph. 1. 22.*
malo, in quo nunquam fuerunt, sed in bono, in quo ipsius gra- *Col. 1. 18: 2.*
tiâ steterunt, quæ ratione ipsorum quoq; tanquam veræ Eccle- *10.*
siæ membrorum Caput dicitur.

72. Deniq; forma hujus Judicii etsi per se inexplicabilis
est, quia tamen sub idea justissimi augustissimiq; Judicii ad-
umbratur, hunc habebit præcipuum Apparatum.

73. Christus, tanquam Filius hominis, sedebit super solium *Matth. 19.*
Majestatis suæ. quod de materiali aliquo solio, aut nube in for- *28.*
mam selle coactâ interpretari, non est genuinum Scripturæ sen-
sum assequi, intelligentibus, qui exercitatos in verbo veritatis
sensus habent, cum Deus in cælo tanquam throno, & Christus *Hebr. 8. 1.*
ad dextram throni Majestatis sedere dicitur, *ἀνθρῶπο πρὸς θεῶς* deno-
tari summam Regni eminentiam, quæ potissimùm in ordinario
cernitur judicio, in quo Reges terreni non stare, sed sedere so-
lent: ita ut hoc sedere Christi in throno majestatis suæ, nihil sit
aliud, quàm se iam componere & accingere ad judicandum,
supremoq; in hoc seculo munere suo fungendum, à quo Re- *1. Cor. 15.*
gnum Deo & Patri tradet, & ipse subjicietur ei, qui illi subjecit *24. 28.*
omnia.

74. Angeli tanquam ministri colligent & congregabunt
coram eo, non pios tantùm & fideles, sed impios etiam & infi *Mat. 24. 31*
deles, hoc est, omnes Gentes: quos ipse Dominus ut Pastor oves *13. 41.*
ab hædis separabit, illas ad dextram, hos ad sinistram suam sta- *25. 34.*

C

tuens,

tuens, & sic statim indicans, quale utrosque Judicium maneat.

75. Nemo igitur impiorum, quàm callidus & potens etiam sit, ab hoc Judicio se subtrahere aut ei resistere poterit: nec montes tegent, nec aurum & argentum liberabit eos in die iræ.

Matth. 19. 28.
1. Cor. 6. 2.
3.
76. Sedebunt etiam Apostoli super duodecim sellis, judicantes duodecim tribus Israël: cæteri sancti judicabunt mundum; imò & Angelos. Id quod fiet, uno modo Approbatione, altero modo Exemplo.

Matth. 25. 34. 41.
77. Apparatum hunc sequetur sententia definitiva, qua eos qui stant à dextris, immittet in hæreditatem Regni & gaudium Domini sui: eos verò qui à sinistris sunt, in ignem æternum & tenebras exteriores, ubi est fletus & stridor dentium.

Joh. 12. 48.
Rom. 2. 16.
2. Thes. 1. 8.
78. Secundùm quam Legem hæc Sententia pronuntianda sit, manifestum est, quòd non secundùm Legem Mosis tantùm, sed etiam secundùm Evangelium Christi & Apostolorum, dicente Domino clarè: Sermo què locutus sum, ille judicabit eum (qui me incredulitate sua rejecit) in extremo die. & Paulo: in illo die judicabit Dominus occulta hominum secundùm Evangelium meum. & iterum: Infliget ultionem iis, qui non noverunt Deum, & qui non obedierunt Evangelio.

Rom. 2. 7.
2. Cor. 2. 16.
79. Non enim putandum est, Evangelium nil nisi consolationem, vitam & salutem prædicare, prædicat illa fidelibus & piis, incredulis verò & impiis anxietatem, mortem & damnationem: Unde tam odor mortis ad mortem, quàm odor vitæ ad vitam dicitur.

80. Nec est Judicium illud Dei universale aliud, quàm promulgatio & declaratio sententiæ jam antè in hac vita Ministerio Verbi, Legis & Evangelii, pronunciata.

Matth. 25. 34. 41.
81. Ac intercessuram quidem Christo cum stantibus ante tribunal suum interlocutionem aliquam & quoddam colloquium, manifestum est ex illo, quòd horum bona opera laudabit,

bit,

bit, illorum verò mala opera culpabit, responsuris alteris humiliter, alteris elatè. Quò pertinet quòd de quocunq; verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddituri sunt rationem in *Matth. 12.*
die Judicii. 36.

82. Admirandum profectò Judicium, quod uno die absolvetur, & omnia tamen atq; singula omniū atq; singulorum verba, facta, cogitata percurret, seu exterius id fiat audibili sermone, seu interius perceptibili conscientia.

83. Quòd verò allegabuntur in Judicio hoc tam bonorum bona, quàm malorum mala opera, secundum quæ judicabuntur, & accipient vel bona vel mala: fit ratione Fidei & Incredulitatis, quæ ex effectis, tanquam arbor ex fructibus, cognoscuntur. Mala opera cum Incredulitate conjuncta damnationem meruerunt atq; etiam auxerunt: Fides autem cum bonis operibus salutem non meruit, sed apprehendit in Christo, & testata est mundo, gratis donante Domino in altera vita gloriam, prout unicuiq; in hac vita Fidei & Charitatis mensuram dispersit. *2. Cor. 5. 10.*
Rom. 2. 6.
Mat. 7. 17.

84. Sententiam continuo excipiet Executio. Reprobi enim & damnati, velint nolint, ibunt in supplicium æternum: Electi verò & Justificati, lubentes ac lætantes, in vitam æternam. *Qui* *Matth. 25.*
46.
est novus Articulus, de quo, ut & de Resurrectione, aliàs.

85. Tonitrua hæc esse debebant in omnium eorum animis, qui, componētibus se jam omnibus ad illustrem hunc Domini Adventum, impiè tamen & sceleratè, contra omnes, quàm fideles etiam sint, admonitiones, vivunt, qui, si fortè verbis hunc Christi Reditum fateantur, factis tamen reverantegant, & sic juxta duritiam suam & cor pœnitere nescium, colligunt sibi ipsis iram in die iræ, quapropter Dominus Jesus cum incendio flammæ venturus ultionem ipsis infliget, ut pœnam *Rom. 2. 5.*
2. Theff. 1. 8.
luant, interitum æternum à faciè Domini & à gloria fortitudinis illius. Cum enim dixerint pax & tuta omnia, tunc repentini- *1. Theff. 5. 3.*

us eis imminet interitus, sicut dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient.

2. Pet. 3. 11, 14. Cum igitur hæc omnia solvantur, quales oportet esse nos in sanctis conversationibus ac pietatibus, expectantes & accelerantes Adventum dei Dei! Annon operam dabimus, ut immaculati & incontaminati ab illo reperiamur in pace? ne alius adversus alium ingemiscat, quoniam Judex ante januam assistit. nec in peccatorum, maximè quæ corda nostra gravant, somno stertamus, sed vigilemus omni tempore deprecantes, ut liceat nobis effugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.

87. Quid verò tristi & quovis miseriarum genere afflicto pectori jucundius, aut quid suavius esse queat, quàm hic idem Christi ultimus Adventus, qui cum cætera nos omnia destitunt, solus in solatium super est: Unde & eo Christus inter præcipua, quibus mæstos ob abitum suum Discipulos solatus est, argumenta adhibuit. Clarè etiam dicente Apostolo, Consolamini vos mutuò his verbis.

88. Illi autem, qui est, qui erat, & qui Venturus est, Omnipotens, gloria sit, laus & honor, nunc & in omnia seculorum secula, Amen.

ADDITAMENTA.

1. *Christus θεός & ἄνθρωπος, Ecclesie Caput & Mediator noster adest Ecclesie suæ in utraq; natura: sed an propterea humana natura apud Ecclesiam sit essentiâ sui corporis, adhuc controversum est? Nos secundum Scripturam & Fidei Articulos negativam fixè tuemur.*

2. *Cum queritur, An Corpus Christi sit Sacramentalis actionis obiectum κατ' ἑαυτὸν, an κατ' ἄλλο; id est, an in sui ipsius essentia, an verò in ipso pane verbo sanctificato? Affirmamus cum tota antiquitate posterius.*

F I N I S.

ung bitte hier einstempeln!

OK 1888

W. ev. Dugm. polem. 208^m
(R.S.)

Psanctes quidem utrumque quod am

musical notation on a red line with square neumes.

acceptum et sagacitate distribuere et

musical notation on a red line with square neumes.

impetravit **ps** Domine murem **am**

Ps musical notation on a red line with square neumes.